



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Petitio regis Romanorum, qua petit vt summus Pontifex iubeat in secundis mensis post tubarum clangorem Heraldum eius in medium venire, & visionem Domini sui super statu ecclesiae atque Romani Imperij ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

Petitio regis Romanorum, qua petit ut summus Pontifex iubeat in secundis mensis post tubarum clangorem Heraldum eius in medium venire, & visionem Domini sui super statu ecclesie atque Romani Imperij pronunciare.

QVANDO QUIDEM nunc reuerendissime Præsul Apostolice, bellaria passim apponuntur, obsecro priusquam omnia conuoluantur, ut dignetur B. T. meam audire Apocalypsim & visionem, qua vel maximè accensus sum, hoc obire munus imperatorium, hancque difficillimam subire prouinciam. Quam equidem breuitatis gratiâ ante coronationem haud temere prætermisi: sed iam per nostrum Heraldum (si non excidit) tibi B. pater recitandam promisi. Omnia enim auditu sunt dignissima & miranda quædam atque iucunda sanctique documentis pietatem sapientibus refertissima, quibus facile profertur, quid in primis mihi sit cauendum, deinde quid tibi, quid me pro officio & quid T. B. deceat. Iube igitur ut reticentibus lituis in medium præco noster procedat, & veluti voce mea, quod mihi diuinitus reuelatum est, hic in communi omnium conuentu referat euidenter.

Mox

Mox Heraldus accedens, præmissa salutatione, ita inquit. Quòd mihi tam nobilis mandatur seruitus v. Pater, magnopere lætor. Nihil enim præstantius, nihil cordi meo iucundius accidere potuit, quàm vt à Domino meo Rege tibi deditissimo ad te mittar nuncius & relator. Audiant igitur omnes voce quidem mea, sed ex verbis & persona domini mei quod eos haud mediocriter instruat & ad melioris vitæ frugem vehementer inflammet. Deinde prolatis tabulis, vice & nomine Regis ait: Quadam tempestate, dum venatu veniens, graui prælassitudine, somno oppressus essem: subter vnam Iuniperum, viridi in cespite me compono, circumstantibus me ad vigilias ministris primipilaribus ac præfectis. Vbi quum iam placidè vtrumuis in oculum obdormirem, videre mihi videor aquilam imperialem desuper in arbore confidentem, expansis quidem alis, sed pennis raris, vnoque priuatam capite, altero satis debili & pendulo, quibus olim & in orientem & occidentem cæli plagam solebat respicere; præterea oculis cæcutientibus, & cæsis, lingua præfecta, de plumi collo, & digitis pedum ex unguibus, macieq; confectam præesurie. Post hæc desuper aquilam in ramis,
picum

picum residere conspicio, quem cum vocali garritu & subitariis saltibus, deridere, minari, incumbere, insidiari, prædamque præripere, & tandem ab ilice deturbatam, longius insequi & profligare. Tum astare mihi e regione visus est hastam manu ferens facer Quirinus (Romani Romulum dicunt) qui hoc me sermone amicè compellabat: Viden' mi fili, aquilæ nostræ senectâ, esuriē, & miseriam, multiq; afflictam iniuriis. Scisne, quid ista sibi meo in regno portendant? quod ego quidem in Roma primus occiperam, & filio meo primogenito Armælo (quem ex coniuge Bisantea filia Chusethæ matris Alexandri susceperam) gubernandum reliqui? Auribus igitur percipe quæ dicturus sum, & memori mente ea reuolue frequenter. Aquila, vno priuata capite, Constantinopolitanum significat regnum (quod filio meo Varbano in Bisancio vrbe matris suæ Bisantæ, cui & Alexandrinum quidem filio meo Claudio reliqui, quasi in vnum coalitum est caput, vnum constituebant Imperium Oriētis) iam prorsus à Turcis, Romanis ablatum esse. Alterum præterea quod aquilæ remansit caput, sed debile fatis, Romanum signat Imperium, à prima gloria nimium excidisse, & iam omnino prope

prope interitum esse; nisi accuratissimè pro-
uideatur. Alas profectò habet expansas, ad
defendendum contra Barbaros Imperium:
sed raras obtinet in eis pennas; quando-
quidem pauci admodum sunt principes, qui
assistere ei & opem ferre conentur. Cæcios
insuper & cæcutientes tibi visa est habere
oculos: quoniam auaritia exceçauit primates
eius: omnes diligunt munera, & sequun-
tur retributiones. pupillo non iudicant,
causa viduæ non ingreditur ad illos, & op-
pressis non subueniunt. omnes quæ sua
sunt quærunt, non quæ Imperij. principes
eius infideles & socij furum. Quapropter
omne caput languidum, & omne cor mæ-
rens. nec est qui contristetur super contri-
tione domus Ioseph, & pauperum terræ.
Linguam quoque eius vidisti præfectam:
quòd omnes adiurati eius facti sunt veluti
canes muti, nescientes latrare aduersum eos
qui imperio detrahunt & aduersantur, nul-
lam prorsus ei exhibentes obedientiam ac
honorem. Muti profectò sunt qui retinent
verbum in tempore salutis, & pro iustitia
certare vsque ad mortem metuunt. Vngues
postremò habet in pedibus detruncatos,
quoniam omnis fortitudo eius & potestas
propter inextricabiles regum exorbitantias

H

& dissen-

& dissensiones iam penitus ablata est atque defecit. A planta pedis vsque ad verticem non est in ea sanitas. Regionem eius alieni deuorant, & desolata est quasi in vastitate hostili. Quid multis? Picus eam desuper irridet & infestat, persequitur & profligat. Et quidem temerè minus. Is enim primus Laurétum & Latinorum rex, & Circes carminibus quòd eius amorem sperneret, in auem sui nominis mutatus; præsens haud immeritò deridet Imperium, quod à suo vsque adeò degenerauit, vt præter nomen & titulum, ne Imperij quidem habere speciem videatur. Quotus enim quisque Imperatorum est hoc in tempore, qui cum Octauiano, bella & similtates excretur; cum Tiberio, literarum peramet scientiam; cum Vespasiano; omnium facilè iniuriarum obliuionem; & cum Tito eius filio, in ciues clementiam, liberalitatem, honorificentiam, & pecuniæ contemptum. Ad externos veniam quorum virtute magis Romam creuisse constat, quàm eorum qui in Italia orti sunt. Quis rogo Imperatorum nostri huius sæculi poterit inueniri, qui tantam cum Nerua in ciues habeat tributorum indulgentiam, & qui afflictas releuet ciuitates? Quis obsecro nunc tantam cum Traiano in

no in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, in erigendis miseris largitionem amplectitur? Quis denique cum Helio Adriano tam moderatam legum seueritatem, tam incredibilem cum Antonino Pio iustitiam & æquitatem, qua veluti totius sedebat arbiter orbis, modò insequitur? Quis etiam cum Aurelio Marco certare flagitat, qui tantam cum ciuibus concordiam, tantam vitæ tranquillitatem & postulandi verecundiam habuit, vt solus omnium post me, digno honore cælo receptus esse credatur? Hæc ego Romulus sed Ethnicus. de paganis Imperatoribus atque profanis refero, dum tibi regis Pici in aquilam derisum & scommata nitor ostendere. At longè sagaciùs & sacratiore mysterio hanc ipsam irrifionem constantissimus tibi edisseret Constantinus, qui maximus tuæ religionis extitit propagator, qui que (me abeunte) mox coram astitit, vtpote tum religione, tum tuorum gratia tibi satis astrictus, vt deneget nihil. Is enim dum adolescens à Galerio Romæ, specie religionis, pro patre (qui tum apud Anglos agebat) obses teneretur, fugam arripiens celeriter in Britanniam peruénit. Et fortè illis diebus, ibidem compositis ad pacem rebus, Constantium parètem vltima

fata, frequenti & anhela febre perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui tunc aderant an- nitentibus, sed præcipuè Croco gentili tuo, atque Alemannorum rege, idem Constantinus Imperium accepit. Minimè igitur molestum ei fuerit, altiora quædam de Pici garritu in Aquilam, tibi enarrare, qui & tuus est religione, & tuorum favore coronatur. Sic conditor Romæ Romulus abiens ait, & confestim astare mihi video Constantinum Helenæ ex Constantio filium Imperatorem religiosissimum. Is hilari vultu ad me respiciens, Tibi, inquit, ô fili superûm gratia missus sum: vt quæ Armaëlus Romulus mihi differenda reliquit, tibi modò propalam manifestem. At ne te ex venatione fatigatum diutius teneam: paucis quæ restant accipito. Omnes igitur Pici Martij gestus, fannas & insultus, & Aquilæ collum deplume, atq; alia quæ in ea vel trunca vel debilia vidisti, sacri Imperij lapsum & declinationem atque (vt verum fatear) interitum (quæ omnia principum defidiâ contigerunt) intellige. Proh nephas! Ego illud quantum ad me pertinuit (vbi sororem Constantiam Licinio Mediolani coniugem tradidi, & Martinianum officiorum magistrum Byzantij Cæsarem creaueram) gloriosissimè rexi & ampliaui.

ampliaui. Primus omnium, caput perpetuo diademate cinxi. rebus multis, populo commodissimus fui. legibus seuerissimis factiones sedare & calumnias; artes nutrire bonas, literarum præcipuè; ipse quoque legere, meditari, & scribere, audire legationes & querimonias pronunciare: domi prudenter & sanctè, foris strennuè & fortiter agere; sed super omnia decorem domus Dei magnificè amplecti, operosa Christo erigere templa; Diuinos augere cultus, sacerdotium venerari, ministris ecclesiæ regaliter prouidere, nihilque eis detrahare aut imminuere. quod tuorum plerique non sine dedecore perpetrasse cognoscuntur. Nam clamor pauperum & christorù Domini ad superos iam ascēdit: qui per tuos proceres, sub barbaro quodam amortisationis titulo atque diplomate, ad nudam vsque cutem euiscerantur, & sine misericordia à tuis corroduuntur. Hæc tibi ex me sequenda recitauit (neque enim adulatio neque laus propria mihi iam nocere potest qui in portum appuli) vt velex his conuicias, quid te imprîmis deceat qui Imperialem ambire videris coronam. Verùm, ista quæ sint, alia oratione cùm tempus rerum agendarum affuerit, à tuis docere Episcopis: nunc reliquam vi-

118 CORNELII AVRELII
sionis tuæ partem exponere curabo. Picus
itaque (vt vidisti) aquilam deridet, infestat
& impingit, dum plurimi sunt hac tempe-
state, qui maiorum decreta contemptui ha-
bent, aspernantur & impugnant. Hi sunt
qui variis circumferuntur desideriis, modò
nigrum amaræ bilis, albo hypocrisis; modò
viride hilaritatis, fusco mæstitiæ palliantes;
instabiles, superbi, simplicium derisores, cu-
pidi, semetipsos amantes: ingrati quoque
& potentum proditores, sine affectione, sine
fœdere, sine pace, proterui, voluptatû ama-
tores magis quàm Dei: habentes quidem
expennis instar pici, simulatæ speciem pie-
tatis, at minimè virtutem: blasphemi, mur-
muratores, sermonibus sanis contrarij, lan-
guentes, circa verborum pugnas & aniles
quæstiones, euangelicam puritatem suis le-
nociniis contaminantes. Qui spiritibus er-
rorum attendunt, & dæmoniorum doctri-
nis in hypocrisi, semetipsos segregantes, &
secundum desideria sua ambulantes in im-
pietatibus, tumidi, proprio sensu pro suo, ar-
bitratu inflati, animales, spiritum non ha-
bentes. Hæc de gesticulatis pici in aquilam
illusionibus. Collum præterea quod in
aquila conspexisti deplume, Imperatorem
exprimit sine dilectione, sine discretionem, &
sine

sine fama nitente, qui non (vt collum) omnia membra Ecclesiæ & caput connectit, atque alimenta in totum corpus transmittit, sed illud sua indiscreta exactione grauens dissociat & confundit, magis se impugnatorem quàm Imperatorem exhibens, non pius se gerens Traianum sed impium tyrannum. Quid multis? Qui Ecclesiam suscepit paternaliter tuendam, eam magis sua pellectus quasi meretrice auaritia turpiter lacerat: & quam munificentia liberali de suo locupletare debuit, proh dolor, concessis spoliat, aut contra omne ius & consuetudinem vetustissima euacuat immunitate. Postremò nitorem famę suæ veluti dudum fulminantes in collo plumas perdidit: qui neque suo consulit nomini, neque Deum reueretur aut homines metuit, neque vlla in pauperes Christi flectitur misericordia; nec meminit, veteres, fiscum solitos vocitare lie-nem, quòd eo succrescente, reliqui artus contabescant. At verò boni Imperatoris est quem te in omnibus sequi decet, discretè omnia agere, magisque ab omnibus amari velle quàm timeri, & super omnia temeritatem fugere; satis celeriter fieri quicquid commodè geritur. nunquam genti cuiquam nisi arduis de causis bellum indicere;

H 4

pacis

pacis quàm Martis amantiorem esse: præci-
 pitationē animi & inconstantiam odisse: er-
 ga ciues versari clementissimè, in amicos fi-
 dum existere, spadones & adulatores, non
 secus atq. vestium tineas aut forices, Palatio
 eiicere: nunquam iniuria accepta, excepta
 sola Dei, ad vlciscendum inconsultè duci;
 placidum se affatū, & conuiuuiis comem, at-
 que magnificum præbere; beneuolentia mi-
 rabili necnon perpetua, se ciuibus conci-
 uem, imo & patrem exhibere: militum lu-
 xuriam refrenare, profusiora stipendia com-
 primere; nec solum in hostilibus præliis, sed
 etiam per legitimos tramites calumniarum
 iniquitates propulsare. Litteratos colere,
 honoribus probos afficere, nec absque ho-
 rum consilio quicquam attentare; Ecclesiæ,
 eiusque ministris viribus totis incumbere,
 reuereri, promouere. Et vt vnico verbo
 complectar vniuersa, quæ præclarum decent
 Imperatorem; sceptrum eburneum quo
 insignietur dextera tua, docebit te vt nihil
 non rectum imperes. Aquila verò quæ
 vel huius fastigio sceptri iuxta Homerum
 infidet, aut hodierno ritu Imperiale vexil-
 lum occupat, hoc tibi portendit, vt ad cæ-
 lestia mente subuolitans, aquilinis oculis
 quæ humi sunt despicias. Postremò aurea
 caput

caput accingêris corona, vt in primis quamplurimum ipse sapias : consilij autem gratia sapientum caterua te semper comitetur (aurum quippe sapientiam mysticè signat) ne quid vt homo per errorem pecces; deinde curare continuò quæ recta sunt, nequid contra animi iudicium & rationem peperam corrupteque perpetres aut efficias. Hæc si animo tibi sunt ô fili omnia obseruare, erimus procul dubio tibi bonus odor in ore omnium Electorum Imperij, & in Romanorum regem assumêris. Deinde ad summum contédens Pontificem, omnia iura, regiones, & bona quæ olim ei largissimè concessimus, te conseruaturum pollicebere ac iuramento obfirmabis. Bene optime, nihil æquius. At non vnum est quod me haud minimè lædit & grauat; eum scilicet præter hæc omnia aliunde insolitis mendicare indulgentiis, quæ fidem simplicium magis contaminant quàm ædificant, dum eas ipse per suos veredarios quasi vanales certo sub ære exponit. Si ei omnia quæ dedimus, non sufficiunt, tu obsecro ex tuis addito alia, vt vel sic in vulgo sine auaritia videantur mores esse eius, quem tanquam numen aliquod habemus & colimus in terris. Sed siquid hæctenus vtrimque erratum est, vterque

H s resipiscat,

resipiscat, suscipiantque montes pacem populo, & colles iustitiam eius requirant, ne fortè quis temere sed verè dicat: Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem. Verum enim verò hæc subrepens primum & adhuc tenera in vtroque vestrum cupiditatis labes, facile recidet, si egentis Domini Saluatoris nostri volueritis semper meminisse. Huic enim ad passionem eunti, duo per Apost. Petrum gladij præsentati: duo in vobis, tanquam duobus totius Ecclesiæ primariis capitibus, notant requirenda: in summo Pontifice gladius salutis exquiritur quod est verbum Dei, quo paganos ad Christi fidem reuocet, quo fideles in bono consolidet. In Imperatore gladius virtutis necessariò requiritur, vt habeat quo Ecclesiam tueatur & hostes eius strangulet. Arripiat itaque Pontifex gladium suum vt audiatur procul vox eius & nomen, dicente Propheta: Leo rugiet, & quis non pauebit? Imò inquam Leo rugiet, & formidabunt filij maris, ita vt in ore Leonis fauum mellis singuli inueniant: dulcedinem vtique mutuæ charitatis, & delicias cælestis pabuli. dum semper sarcientiæ pacis studium habet cum Iuda Machabæo, & exhortationis verbum, de quo legitur:

Similis

Osca II.

Similis factus est Leoni in operibus suis.
 Leo enim animosus est & liberalis, apertif-
 que dormit oculis. Audacem quippe for-
 tuna iuuat, liberalem omnes diligunt, dis-
 cretumque venerantur. Neque hoc præ-
 tereundum putem, fuisse in fabrica templi
 Salomonis, cælatos non tantum Leones, sed
 & Boues & Cherubin, ut is qui solus toti
 præfidet Ecclesiæ, sit iustitiæ viribus fortis,
 ut leo; modestiæ legibus commodè liga-
 tus, ut bos, & ita demum scientiæ luce dota-
 tus, ut Cherubin. At verò nunc ô Impera-
 tor mihi admonendus es, ut qui aquilam in
 armis portas, aquilam studeas imitari. Hæc
 itaque avis infatigabili est volatu, clarissi-
 mo visu, & mirabili odoratu. Tu ergo in-
 star aquilæ in alta virtutum volare conten-
 dito, & ad cælestia pro viribus subuolitans
 terrena quæque despice. Illuc præterea
 frequenter oculos flecte, vbi merces tua
 magna nimis est reposita. Pullos tuos, Ec-
 clesiæ dico filios, sub alas tuas suscipe, con-
 grega & defende. Vbicunque cadauer aut
 foedæ hæreseos aut perfidiæ senseris, confe-
 stim adesse curato, & mox iustitiæ gladio
 illud à sano Christi corpore separato. Hic
 tibi fit labor, hæc ars, hoc studium; qui si
mea

mea non spreueris monita, eum te facile
 præbebis Imperatorem; qui & Deo & ho-
 minibus sit quàm gratissimus. Vale, & me-
 mori quæ dico mente reuolue. Hæc ubi
 dixerat Constantinus, mox tenues est ef-
 fusus in auras: & ego experrectus confe-
 stim ad te sanctissime Pater properaui, vt
 me tibi & Ecclesiæ consecrarem.

EX BA-